

APPENDIX I.

SPECIMEN INTERPRETATIONIS QUORUMDAM LOCORUM S. SCRIPTURAE

N. 1. Expositio Psalmi XXI (Hebr. XXII)

ARGUMENTUM ET ANALYSIS

Psalmus iste, unus ex praecipuis ac pulcherrimis, totus ad Christum pertinet, et ad eius passionem, resurrectionem et gloriam inde sequentem. Ipse Christus inducitur loquens, quin unquam Propheta verba sua inferat, ut in aliis plerisque prophetis psalmis facere solet. Totus psalmus in duas partes dividitur quarum prima pertingit usque ad v. 2⁴ ad illa verba: « qui timetis Dominum laudate eum etc. », altera vero ab his verbis incipit et protenditur usque ad finem. In prima parte Christus in cruce pendens Deum Patrem supplicii ac tenera oratione alloquitur suaviter conquestus, quod ab eo derelictus sit in tormentis, huius rei modum et causam exponens (v. 2, 3), tum vero Patris misericordiam implorat, eius obtinendae motiva adducens 1° eiusdem sanctitatem (v. 4); 2° misericordiam Patriarchis aliisque iustis V. T. exhibitam (v. 5 et 6); 3° abyssum ignominiae, ac miseriae in qua ipse iacebat (v. 7-9); 4° singularem amorem et providentiam qua illum Pater hucusque protegerat ac foverat, ubi preces magis explicitè fundit, et 5° iterum per partes et vivissime dolores suos, et snorum inimicorum multitudinem, crudelitatem et proterviam describens iterum ab iis liberari poscit (v. 12-22). Concludit (v. 23) promittens, seu vovens se

post acceptam gratiam publice nomen Patris laudaturum. Altera pars incipit cum apostrophe qua Christus iam gratiam Resurrectionis adeptus Israelitas, omnesque timentes Dominum invitavit ad Deum laudandum pro accepto beneficio (v. 24 et 25), iterumque votum antea emissum confirmat, et solvere incipit non sine allusione ad sacrificium Eucharisticum, ex quo fideles cuiusvis conditionis pascenti et vivificandi sunt (v. 26 et 27), demum praedicit omnes gentes ad Deum convertendas ex quibus Ecclesia formanda sit Novi Testamenti, quae ab ipso Christo fundata et gubernata una cum eo ingiter Deum laudatura est (v. 28-32).

I. Titulus Psalmi.

| Hebraicum. | Hieronymus. | σι LXX. | Vulgata. |
|--|--|---|---|
| <p>לְמַנְצַח עַל־אֲנָלָה הַשְּׁחָר מוֹמָר : לְדָרֵךְ</p> | <p>Victori, pro cervo matutino canticum David.</p> | <p>Εἰς τὸ τέλος, ὑπὲρ τῆς ἀναλά- ψεως τῆς εὐθινοῦς, ψαλμὸς τοῦ Δαυὶδ.</p> | <p>In finem, pro susceptione matu- tina, Psalmus David.</p> |

Titulus iste non parum differt prout est in textu hebraico, quem sequitur Hieronymus, et in versione τῶν LXX, quam sequitur Vulgata. Omissa differentia quae oritur ex duplici sensu vocis לְמַנְצַח quae iuxta duplicem significationem radicis נָצַח a Hieronymo vertitur *Victori*, a Vulgata vero tum graeca tum latina *in finem*, non solum in hoc, sed in aliis quoque pluribus Psalmis, hoc, inquam, omisso, speciale discrimen in hoc titulo est quod iuxta hebraicum est *cervus* vel *cerva aurorae*, iuxta graecum est *susceptio matutina*. Ex quorundam sententia *cerva aurorae*, hic nihil aliud esset quam initium cantilenae cuiusdam popularis, ad cuius numeros Psalmum decantandum esse praecipitur; probabilius tamen sententia est utramque tituli lectionem idem significare, alteram quidem metaphorice, alteram proprie. Scilicet *cervus aurorae* hic designaret vel ipsum Christum summo mane de sepulchro resurgentem, quae explicatio confirmari videtur ex verbis v. 17: « quoniam circumdederunt me canes multi: » quo quasi explicatur metaphora cervi ab insequentibus canibus impetiti, et ad incitas redacti, vel est simplex metaphora, seu potius periphrasis auctorae ab orientali stylo non aliena, illius scilicet aurorae in qua Christus resurrexit. Ad

hanc enim gloriosam Resurrectionem totus psalmus dirigitur, et collimat. In graeco vero et in Vulgata eadem Resurrectio simplicius vocatur *susceptio matutina*, susceptio quidem iuxta illud Psalmi III, 5: « *E surrexi quia Dominus suscepit (1) me* » matutina vero quia summo mane facta est.

Vers. 2 et 3.

| | | | |
|--|---|--|---|
| <p>אֱלֹהֵי לִמְּי רְחֹק עֵינֵי מִיְשׁוּעָתִי דְּבָרִי שָׁאֲתִי :</p> | <p>Deus meus, quare dereliquisti me? longe a salute mea verba rugilus mei.</p> | <p>Ὁ Θεός, ὁ Θεός μου, προσέξέ μοι, ὦνὰ τὴ ἐγκατάλειπες; Μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν περὶ καταπτώτων μου.</p> | <p>Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.</p> |
| <p>אֱלֹהֵי אֶקְרָא יּוֹם וְלַיְלָה תַעֲנֵה וְלַיְלָה לֹא-דְרֹמְיָה לִי :</p> | <p>Deus meus, clamabo per diem et non exaudies, et nocte, nec est silentium mihi.</p> | <p>Ὁ Θεός μου, κηρύξου: ἡμέρας πρὸς σέ, καὶ οὐκ εἰσάκουσῃ, καὶ νυκτός, καὶ οὐκ εἰς ἀνομιάν ἐμοί.</p> | <p>Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi.</p> |

Vers. 1° *Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti?* Pulcherrimum exordium pietate et affectu plenum quo Christus in Cruce iam pendens Patrem alloqui incipit. In Evangelio legitimus Christum morti proximum revera haec verba pronunciasse Math. XXVII, 46. Quinimo existimant multi interpretes eum totum Psalmum tunc recitasse, prima scilicet verba elata voce ut a circumstantibus audiretur, reliqua vero submissiori voce et secreto. *Deus meus*: loquitur ut homo seu creatura. *Respice in me*: haec verba non sunt in textu hebraico sed addita fuerunt a LXX declarationis et emphasis causa. *Quare me dereliquisti?* verba sunt dolentis, et filialiter conquerentis, minime vero desperantis, ut Calvinus blasphemavit; derelictio autem de qua conqueritur duplex fuit, altera externa, quod scilicet Pater illum in manus persecutorum tradiderit, et liberare noluerit, altera interna, quod scilicet Pater

(1) Bellarminus Comm. in h. l. conatur ostendere vocem hebraicam אָלַת ambiguum esse; licet enim ordinarie *cerbam* significet posset tamen etiam *susceptionem* significare.

quamvis humanitati Christi unitus ob hypostaticam divinae cum humana natura unionem, eiusdem unionis effectus in inferiores facultates animae suspenderit, ita ut sensibilis quies et animi consolatio ac iucunditas, quae ex ea naturaliter provenire debuisset, prorsus impediretur.

Longe a salute mea verba delictorum meorum. Verba delictorum accipi possunt per hebraicum idiotismum pro ipsis delictis, vel etiam metaphoricè pro voce delictorum quodammodo clamantium, et poscentium vindictam. Christus autem innocentissimus de delictis suis loquitur quatenus nostra delicta quodammodo sua fecit per charitatem, offerens scilicet seipsum et in se suscipiens onus illa expiandi iuxta illud quod legitur Isaiæ LIII v. 6: « *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* » ad quod vaticinium fortasse Christus respiciebat in citatis verbis. Haec autem verba duplici modo possunt cum praecedentibus coniungi prout accipiuntur vel historice, vel deprecativè. Si primum, sensus hic esset: vox delictorum quae a me fuerunt assumpta clamat pro vindicta, et impedit salutem meam, seu quominus a morte eripiar; atque ita continerent veluti responsonem praecedenti interrogationi: *quare dereliquisti me?* Si vero deprecativè accipiuntur sensus hic esset: longe sint peccata mea a mea salute, idest oro ne ad ea respicias, et eorum causa ne differas me liberare. Iuxta hebraicum habetur: *verba rugilus mei*, idest vehementis orationis, et gemitus iuxta illud Ps. XXXVII, 8: « *Rugiebam a gemitu cordis mei* » (1). Secundum hanc lectionem sensus esset: gemitus meus et vehementissima mea supplicatio longe est, seu procul abest ab impetranda salute, seu liberatione mea: quae etiam possent interrogative accipi et ita subiungi praecedentibus verbis: quare me dereliquisti, et quare orationem meam non audis? Illud autem quod Christus Dominus hic tam vehementer implorat non est praecise ut non moriatur, volebat enim mori, et oblatu est *quia ipse voluit*, sed potius ut semel mortuus ad vitam revocetur, et ita inimicorum suorum atrox consilium illum exterminandi frustraretur, imo plenum de il-

(1) Discrepantia inter hebraicum hodiernum et LXX posset forte explicari ex simplici literarum transpositione. Vocis enim אָלַת radix est אָשָׁא quae significat *rugit*, sed si legeretur אָשָׁא significaret *erravit*, seu *deliquit*.

lis triumphum referat. Totus Psalmi contextus hunc sensum evincit.

V. 2. *Deus meus clamabo per diem et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Prosequitur lamentatio quod a Patre derelictus fuerit, et quod eius continua oratio diu noctuque ad Deum effusa nondum exaudita fuerit: nonnulli metaphorice intelligunt per diem totum vitae tempus, et per noctem speciatim tempus passionis, atque inde pulchram quamdam antithesim instituunt inter primum et alterum hemistichium, ut mox declarabimus.

Et non ad insipientiam mihi. In textu hebraico legitur: *et non silentium mihi*, quae lectio confirmativa est praecedentium, quasi diceret: nocte et die clamavi et nullam requiem mihi concessi, seu numquam a clamando cessavi. Secundum Vulgatam vero sensus ita reddendus est: nocte et die clamavi, et licet exauditus non fuero, hoc tamen non est mihi vitio vertendum, nec insipientiae meae adscribendum, factum est enim ex profundo divinae sapientiae consilio, et licet non statim, deinceps tamen exaudiar. Vel etiam, ut supra innuimus, admittenda est antithesis inter diurnam et nocturnam orationem quasi diceret: clamavi per diem, idest toto vitae meae tempore, et non exaudisti, clamavi nocte, idest in tenebris et pressura Passionis meae, et tunc exaudies, ideoque non ero insipiens, seu ostendetur me insipientem non fuisse in precibus continendis, et multiplicandis: confirmari et illustrari potest haec explicatio ex verbis Apostoli Hebr. V, 7, ubi de Christi oratione loquens ait: « qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Haec explicatio componi potest etiam cum lectione hebraica *et non silentium mihi*, referendo scilicet illud *silentium* דימקה non ad Christum, sed ad Patrem, ita ut sensus sit: donec per diem clamavi siluisti, seu non respondisti mihi, cum autem noctu, seu in horto Getsemani et in passione, clamavi non amplius siluisti, sed respondisti mihi: nota verbum ענה quod vulgata reddidit *exaudire*, proprie significare *respondere*.

Vers. 4-6.

| | | | |
|--|--|---|--|
| קדוש ואתה ישיב תהלות ישראל : ישראֵל | Et tu sancte, habitor laus Israel. | Ὁ δὲ ἐν ἁγίῳ κατοικεὶς ἡ Πα- τρὸς τοῦ Ἰσραὴλ. | Tu autem in sancto habitas, laus Israel. |
| במה במה : ותפלמו | In te confisi sunt Patres no- stri, confisi sunt et salvasti eos. | Ἐπί σοι ἤλπισαν οἱ πατέρες ἡμῶν, ἤλπισαν καὶ ἐσ- ώσωσ ἀστούς. | In te sperave- runt Patres no- stri, sperave- runt et liberasti eos. |
| ועקו ונמלמו : ולא בישו | Ad te clamave- runt, et salvi fa- cili sunt; in te confisi sunt et non sunt confusi. | Ἦλθον πρὸς ἐξέ- κρωσάν καὶ ἐσώ- θησαν, ἐπὶ σοὶ ἤλπισαν καὶ οὐ κατασχέθησαν. | Ad te clamave- runt, et salvi fa- cili sunt; in te speraverunt, et non sunt confusi. |

Vers. 4. iuxta hebraicam textum proprie reddi posset: *tu autem sanctus (es) inhabitans laudes Israel*, seu requiescens et secure *sedens* (יושב) in laudibus Israelis, scilicet vel quia ipse Deus est praecipua gloria filiorum Israel, vel quia Israel ipsum iugiter laudat. (1) Connectitur autem hoc cum praecedentibus duobus modis: primo ad temperandum sensum praecedentium verborum, cum enim antea in vehementem illam querelam erupisset, ne quis putaret eum vel reverentiae vel fiduciae Patri debitae defuisse his verbis sermonem mitigat, et quasi corrigit, ac si diceret: licet conquestus sim meam orationem a Te non exaudiri, probe tamen scio et fateor Te sanctum esse, iustum, et misericordem, cui omnis laus debetur: secundo haec prolata videntur ad urgendum effectum orationis tanquam primum motivum cur Pater Filium exaudire debeat, cum enim sanctus sit, et decus populi electi non decet eum filii ac Christi eius preces aspernari.

Vers. 5. *In te speraverunt Patres nostri* etc. Continent haec verba

(1) LXX. interpretes acceperunt vocem קדוש substantive loco קדוש, eamque a participio יושב regi existimarunt ita ut sensus esset: *habitans sanctum*, seu *in sancto habitas*, ut habet Vulgata latina: verum punctatio masorethica hunc sensum non admittit, est enim punctum *athnak* post vocem קדוש et proinde participium *habitans* est coniungendum cum sequentibus: *laudes Israel*, vel seorsim accipiendum, ut fecisse videtur Hieronymus.

alterum motivum ad Patris misericordiam implorandam a praecedentibus exemplis deductum. Patres nostri, inquit, quoties a Te misericordiam impetrarunt cito eam receperunt: Abraham, Isaac, et Iacob in multis periculis constituti ad Te clamaverunt, et eripuit eos: clamorem Hebraeorum in Aegypto audisti, et per Moysen eos a servitute liberasti, deinceps sub Iudicibus quoties ad Te conversi sunt inauditis prodigiis eis subvenisti, et liberatorem misisti: cur igitur me quoque non exaudies? Quo etiam tacite instituitur antithesis, et argumentum a minori ad maius: Si enim, inquit, illi qui tandem aliquando servi tui erant, a Te reiecti non sunt, quanto magis Filium exaudire debes.

Vers. 7-9.

וְאֵינִי חֹלֵעַת
וְלֹא־אִישׁ חֲרַפְתִּי
אֲדָם וְכוּזֵי עַם :

כָּל־רֹאֵי וְלִעֻגוּ
לִי וְקִטְרוּ בְטִפְחָה
: וְיַעֲדוּ רֹאשׁ :

גַּל אֶל־יְהוָה
יַפְלִטָהּ וְצִלְהוּ
כִּי תִפֶּץ כִּי :

Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et despectio plebis.

Omnes videntes me subsannant me: dimittunt labium, movent caput.

Confugit ad Dominum salvet eum: liberet eum quoniam vult eum.

Ἐγὼ δὲ εἶμι σκώληξ, καὶ οὐκ ἄνθρωπος, ὀνειδὸς ἀνθρώπων, καὶ ἐξουθένημα λαοῦ.

Πάντες οἱ θεωροῦντές με ἐξουκαυχίσαν με, ἐλάλησαν ἐν χειλέσιν, ἐκίνησαν κεφαλήν.

Ἦλπισεν ἐπὶ Κύριον, σωσάτω αὐτόν, σωσάτω αὐτόν ὅτι θέλει αὐτόν.

Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: loquuti sunt labiis et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum quoniam vult eum.

Incipit describere abiectiorem, et ignominiam, in quam deciderat. Particula *autem* subindicat antithesim superius commemoratam ita ut sensus sit: illi servi, ac famuli tui tam magnifice a Te liberati, et glorificati fuerunt, ego vero Christus tuus, et verus filius ecce in quem abyssum ignominiae prolapsus sum. *Vermis, et non homo*: phrasis hebraica ad significandum: magis vermis terrae quam homo videri possem, considerata scilicet summa abiectiōne in qua versor, non solum enim angelis minor factus, sed omnibus hominibus etiam infimis, Barabbae homini abiectissimo postpositus, medius inter latrones crucifixus tamquam eis criminiosior, ita ut non

amplius humana dignitas mihi constet, sed ut vilis vermis ab omnibus despiciatur et pedibus conteratur. *Opprobrium hominum* חֲרַפְתִּי אֲדָם idest, de quo homines erubescunt, nec solum inimici, sed et discipuli et amici, ut Petrus qui erubuit confiteri se eius discipulum fuisse, et Iudas qui eum sacerdotibus tradidit, et alii qui relicto eo fugerunt. *Et abiectio plebis*: hebraice כּוּזֵי עַם seu *contemptus, despectus a plebe*: omnis populus eius mortem clamoribus poposcit, et Barabbae postposuit aientes: « non hunc sed Barabham » (Io. XVIII, 40).

Omnes videntes me deriserunt me: idest ex omni hominum genere, Iudaei et Pagani, sacerdotes et laici, nobiles et plebei ut in Evangelio legitur (Math. XXVII, 39-49). *Loquuti sunt labiis seu iuxta vim vocis hebraicae dimiserunt, vel distorserunt labium, et moverunt caput*: sunt gestus irridendum et insultantium Domino e Cruce pendenti. *Speravit in Domino* etc. Verba sunt sacerdotum, et populi Christo illudentium, quare subintelligitur ante haec verba participium *dicentes*. His autem verbis Christo illudent eo quod ab eorum manibus ereptus non fuerit a Deo, in quo se sperare dicebat. In textu habraico habetur hic imperativum pro praeterito *יַפְלִטָהּ וְצִלְהוּ גַל אֶל יְהוָה* idest: confuge, convertere ad Dominum, liberet eum: sensus evidenter idem est, sed fortasse adest error in punctis, et legendum esset praet. גַּל pro imp. גַּל.

Mirum est quam accurate et admissim haec omnia adimpleta legantur in Evangelio, non substantia tantum rerum, sed minuta, etiam adiuncta, ut illudentium gestus, ac ipsa verba. Matthaeus XXVII, 39 seqq.: « Praetereuntes autem, inquit, blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes.... similiter et principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, et Senioribus dicebant: alios salvos fecit seipsam non potest salvum facere.... confidit in Deo, liberet nunc si vult eum: dixit enim quia filius Dei sum. » Postrema verba *salvum faciat eum, quoniam vult eum* occurrunt etiam in Ps. XVII, 20.

Vers. 10 et 11.

| | | | |
|--|---|---|---|
| <p>כִּי־אִמָּה גָּהִי מִבְּמִי מִבְּמִיָּהִי עַל־שְׂדֵי אִמִּי : עַל־יָד הַשְּׁלֶכְתִּי מִרְחֵם מִבְּמִן אִמִּי אֵלֵי אִמָּה :</p> | <p>Tu autem propugnator meus ex utero, fiducia mea ab uberibus matris meae. In te proiectus sum ex vulva : de ventre matris meae Deus meus es tu.</p> | <p>"Οτι σὺ εἶ ὁ ἔκστασις με ἐκ γαστρὸς, ἢ ἐλαίῳ μου ἀπὸ μαστῶν τῆς μητρὸς μου. Ἐπι σὲ ἐπέβρισην ἐκ μήτρας ἐκ κοιλίας μητρὸς μου Θεὸς μου εἶ σὺ.</p> | <p>Quoniam tu es qui extraxistime de ventre : spes mea ab uberibus matris meae. In te proiectus sum ex utero : de ventre matris meae Deus meus es tu.</p> |
|--|---|---|---|

Addit hic quartum motivum ex eo desumptum quod Deus paternam erga eum providentiam ac sollicitudinem inde a primo vitae exordio exhibuerit, unde inferri vult multo magis nunc Patris auxilium sibi sperandum esse, cum nempe maior instet necessitas. Pulcherrima ac tenerrima est haec descriptio Christi infantis sub Patris cura constituti.

Quoniam: haec particula, quemadmodum saepe alibi in Scripturis, non habet hic vim causalem, sed aut est mere pleonastica, aut etiam quodammodo adversativa respectu praecedentium, in quibus inimicorum odium et irrisiones descriperat cum ei exprobarent quod a Patre non liberaretur, quibus quasi respondet: *Attamen, seu, imo vero tu es* etc. Posset tamen fortasse coniungi illud *quoniam* cum verbis vers. 12 ita: quoniam tu semper mihi adfuisi, multo magis nunc *ne discesseris a me*: sed hoc sermonem forte frigidiorum redderet.

Tu es qui extraxisti me de ventre. Etiam textus hebraicus eundem sensum habet: ponit enim participium cum suffixo גָּהִי seu eductor, vel extractor meus; cur autem Hieronymus reddiderit *propugnator meus* difficile est intelligere cum verbum גָּהִי hanc significationem nunquam habeat. His autem verbis manifesta allusio fit ad prodigiosam Christi conceptionem et nativitatem, in qua Deus praecipuas habuit partes sine viri consortio et cooperatione, hoc autem adducit ut ostendat se specialiter a Deo dependisse inde a primo tempore quo humana eius natura formata est, et existere coepit.

Spes mea ab uberibus matris meae, seu inde ab eo tempore quo coepi puerulus ubera matris sugere. Textus hebraicus habet hic vocem מִבְּמִי, quae licet verti possit: *Spes mea*, seu *fiducia mea*, potest tamen etiam accipi pro Participio *Hiphil* cum suffixo, quod responderet superiori partic. גָּהִי atque ita sensum adhuc pulchriorem funderet: Tu eductor meus de ventre, *confidere me faciens super ubera matris meae*, idest, protectione tua, et paterna de me sollicitudine efficiens ut ego tranquille, et sine cura dormirem in gremio matris meae.

In te proiectus sum ex utero: auget et exornat praecedentem imaginem hac altera: vix egressus ex utero matris meae collocatus sum, et quasi decidi in ulnas tuas. De ventre matris meae Deus meus es tu: concludit his verbis se Dei fuisse usque a nativitate, et quidem emphatice: *Deus meus es tu*, inquit, non scilicet ordinaria illa ratione, qua pater est omnino Deus, sed omnino speciali ac propria.

Vers. 12-16.

| | | | |
|--|---|---|---|
| <p>אֶל־תִּרְחַק מִמֶּנִּי כִּי־צָרָה קָרוֹבָה כִּי־אֵין עֹזוֹר :</p> | <p>Ne longe fias a me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est adiutor.</p> | <p>Μὴ ἀποστήσῃς ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι θλίψις ἐγγύς, ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ βοηθῶν.</p> | <p>Ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuvet.</p> |
| <p>סָבְבוּנִי פְּרוֹים רַבִּים אֲבִירֵי בָּשָׂן כְּתִירוֹנִי :</p> | <p>Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues vallaverunt me.</p> | <p>Περιεκύλωσάν με μῆστροι πολλοί, ταῦροι πίστες περιέσχον με.</p> | <p>Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.</p> |
| <p>פָּצוּ עָלַי פִּיָּהֶם אֶרְיֹה־תִּרְךָ וְשֹׁאֵגָה :</p> | <p>Aperuerunt super me os suum, quasi leo rapiens et rugiens.</p> | <p>Ἐνοιζῶν ἐπ' ἐμὲ τὸ στόμα αὐτῶν, ὡς λέων ὁ ἀρπάζων καὶ ὠρῶσ μένος.</p> | <p>Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens.</p> |
| <p>כַּמִּים נִשְׁפָּכְתִּי וְהַתְּפִרְדּוּ כָל־ עֲצָמוֹתַי הֵיחָ לְבִי כִּדְרוֹנֵי גִמְסֵ בְּתוֹךְ מַעֵי :</p> | <p>Sicut aqua effusus sum, et separata sunt omnia ossa mea, factum est cor meum sicut cera liquefacta in medio ventris mei.</p> | <p>Ὅσει ὕδωρ ἐξέχυθη, καὶ διεσπασμένη πάντα τὰ ὀστά μου, ἔγεννηθη ἡ καρδία μου ὡσεὶ κηρός τεκλύμενος ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου.</p> | <p>Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.</p> |

יבש כהרש כחי
ולשוני מרבק
מלקחי ולעפר
מורת השפתני.

Aruit veluti
testa fortitudo
mea, et lingua
mea adhaesit pa-
lato meo, et in
pulverem mortis
deitaxisti me.

Ἐξηράθη ὡσεὶ
στρακὸν ἡ ἰσχυ-
ρὸς μου, καὶ ἡ γλῶσ-
σά μου κεκόλλη-
ται τῷ λάρυγγί
μου, καὶ εἰς γεῶν
θανάτου κατήγα-
γές με.

Aruit tamquam
testa virtus mea
et lingua mea
adhaesit faucibus
meis: et in
pulverem mortis
deduxisti me.

Ne discesseris a me: iuxta hebraicum proprie: *ne elongeris, ne procul abeas*, quod antithesis continet cum verbis sequentibus, ubi *tribulatio proxima* esse dicitur. Incipit hic Christus Dominus Patrem expresse rogare ut eum a morte liberet, seu, ut superius innimus, ne eum in mortis potestatem tradat, sed de morte triumphare concedat. Urget vero inquires: *quoniam tribulatio proxima est*, ideoque promptum auxilium poscit. Volunt nonnulli tribulationem hanc esse totam passionem, ideoque haec verba intelligenda esse tamquam a Christo dicta in horto, cum a satellitibus iam iam capiendus esset, et passionis series incipienda. Verum haec explicatio perturbare videtur seriem orationis: in praecedentibus enim versiculis, quemadmodum et in proxime sequentibus, iam supponitur incepta passio, imo etiam peracta crucifixio. Quapropter melius est per istam *tribulationem proximam* intelligere ipsam mortem: seu animae a corpore separationem, quae ob tormentorum vim mox sequutura erat, quaeque secundum naturalem, et humanum ordinem ac sensum maxima omnium tribulationum dici poterat. Addit autem: *quoniam non est qui adiuvet*, idque ad magis urgendam orationem: nemo, inquit, est qui in hac suprema necessitate mihi succurrere aut possit, aut velit: magistratus Iudaeorum, ac populus meam mortem avidè quaerunt, discipuli me dereliquerunt, Mater et pauci circa crucem adstantes auxilium mihi ferre prohibentur, Tu igitur solus mihi subvenire potes, et a Te unice liberari confido.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Quemadmodum in superioribus vers. 7-9 ignominias, et opprobria ab hostibus suis illata descripserat, ita nunc cruciatus, et dolores ab iisdem inflictos, eorumdemque crudelitatem ac saevitiem variis imaginibus pingit. *Vitulos* hic sumit pro iuvenis paulo maioribus, et ad homines vexandos et feriendos idoneis. Hac autem metaphora Iudaeorum plebem, et militum turmam contra eum saevientium

designat. Pro tauris pinguibus hebraicum habet *fortes Basan*, seu pingues et robusti tauri ex Basan profecti regione fertili, et paucis abundantissima: metaphorice vero hic intelligendi sunt pontifices, doctores, pharisaei qui potentia et divitiis pollebant. Nisi forte dicere velimus secundum hemistichium non esse nisi explanationem prioris, ita ut distinctio inter vitulos, et tauros admittenda non sit, quasi diceret: *circumdederunt et obsederunt me vituli*, non quidem minores et imbecilliores, sed robustissimi, qui tauris Basan comparari possint. Tunc autem solum pontifices, principes, et pharisaeos hic designaret, tamquam principales mortis suae machinatores, et auctores.

Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens. Describit hic furorem inimicorum suorum, quos nunc, paullisper immutata metaphora, leonibus comparat, qui ad praedam rapiendam et discerpendam furibundi pronunt horribili oris rictu, et rugitu terrorem incutientes.

Sicut aqua effusus sum etc.: omnia quae habentur in hoc versiculo a nonnullis intelliguntur de moralibus Christi in Cruce pendens dispositionibus (ita Bellarminus in h. l.), alii, ut videtur, verosimilius de physico statu languoris, et aegritudinis ad quem redactus fuerat. Secundum primam explicationem Christus diceret se veluti aquam effusum esse quatenus cruciari et vilipendi ab inimicis permiserat, nulla eis oblata resistantia, uti aqua quae in partem quamlibet diffluit, ac dilabitur; eodemque sensu dixisset omnia ossa eius dispersa seu dissipata esse, quasi scilicet nihil ad resistendum robur haberet, non quidem ex vera impotentia, sed ex charitate iuxta illud 1 Pet. II, 23: « Qui cum malediceretur non maledicebat: cum pateretur non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste. » Ita etiam quae addit de liquefactione cordis, intelligenda essent de mansuetudine, et humilitate qua Christus non modo exterius, sed interius quoque, et ex imo corde persecutoribus et crucifixoribus suis resistere noluit, eisque pepercit. Verum probabilior et contextui sermonis conformior videtur explicatio, quae omnia haec de physicis doloribus et languoribus intelligit. Dicit itaque Christus Dominus se uti aquam effusum esse, amisso scilicet per vulnera sanguine, et omni robore pessundato: dispersa esse eius ossa, sive metaphorice ad designan-

dam virium exhaustionem, sive proprie ad indicandum ipsa ossa distenta ac veluti divulsa per crucis extensionem fuisse, cor etiam quasi cera liquefactum in medio ventris, idest in interiori corporis parte, et in visceribus iuxta usum hebraicum vocis **מעים** quatenus vi tormentorum, et imprimis internae afflictionis formidinis, ac tristitiae tabescebat.

Aruit tamquam testa virtus mea, seu vitalis humor exsiccatas est, et defecit, et corpus meum comparari potest vasi fictili igne fornacis arefacto, et indurato. *Et lingua mea adhaesit faucibus meis*: idest palato meo, ut habet textus hebraicus, prae siti scilicet, quemadmodum legitur etiam in Threnis IV, 4: « Adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti. » Qui haec in sensu morali explicant sub prima metaphora testae aridae intelligunt, uti in praecedentibus, patientiam et defectum resistentiae in Christo, quasi nullum in eo robor reliquum esset, alteram vero metaphoram de lingua palato adhaerente explicant de admirabili Christi silentio, quo abstinit ab omni querela aut convicio contra suos persecutores. *Et in pulverem mortis deduxisti*, seu *detraxisti me*: non sunt haec intelligenda quasi Christi corpus corruptum aut in pulverem redactum unquam fuerit, quod falsum esset, iuxta illud Ps. XV, 10: « Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, » sed *pulvis mortis* metaphorice accipitur pro sepulchro, in quo cadavera in pulverem redigi solent, et sensus est: eousque pervenit, te permittente, inimicorum crudelitas et tormentorum vis, ut vitam iam amissurus sim, et in sepulchrum descensus. S. Hieronymus putat haec referri ad descensum Christi ad inferos ut animas ibi captivas detentas consolaretur, et libertate donaret.

Vers. 17-19.

| | | | |
|---|---|---|--|
| כִּי סָבְבוּנִי כְּלָבִים עֲדַרְתָּ מִרְעֵים הַקְּיִפְּנֵי כַּאֲרִי יְדֵי וְרַגְלָי: | Circumdederunt me venatores, concilium pessimorum vallavit me, fixerunt manus meas et pedes meos. | Ὅτι ἐκύλισάν με κύνες πολλοί, συναγωγὴ πονηρομένων περιέσχον με. Ὁρῶσαν χεῖράς μου καὶ πόδας μου. | Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos. |
|---|---|---|--|

| | | | |
|--|--|--|---|
| אֶסְפֵּר כָּל- עֲצָמוֹתַי הַפְּדוּרָה : וְבִיטוּ יְרֵאֵרָבִי : יְהִלְקֵנִי קִנְדֵי לֵהֶם וְעַל-לְבוּשָׁי : יְפִלְדוּ גֹרְלִי: | Numeravi omnia ossa mea, quae ipsi respicientes viderunt in me. Diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestimentum meum miserunt sortem. | Ἐξήριθμησαν πάντα τὰ ὀστά μου, αὐτοὶ δὲ κατανόησαν καὶ ἐπέσδόν με. Διμερίσαντο τὰ ἱματῖά μου ἐαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἐβάλον κλήρον. | Dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. |
|--|--|--|---|

Quoniam circumdederunt me canes multi (1). Illic persecutores canibus comparat, ob petulantiam scilicet, et rabiem qua in illum ferebantur, nec a latratibus et morsibus cessarunt donec mortuum eum et sepultum vidissent. Graeci interpretes plerumque intelligunt canum nomine paganos homines et milites qui adversus Christum conspirarunt cum Iudaeis, quos sub nomine vitulorum et taurorum antea designatos putant. Ita Theodoretus, Eusebius, Nicephorus et alii. *Concilium malignantium obsedit me*: his verbis statim explicat praecedentem metaphoram canum, dicens eos fuisse concilium, seu coetum, aut congregationem malignantium, idest, iuxta Hieronymum, *pessimorum*, perfide et crudeliter contra eum conspirantium.

Foderunt manus meas etc. Verba huius et sequentis versiculi tam evidenter expriment circumstantias Christi mortis, ut impossibile sit id non intelligere, ita ut non vaticinium sed historiam narrare videantur. Quare merito S. Iustinus in Apol. 2. et reliqui Patres adversus Iudaeos et paganos totum hunc locum imprimis urgebant ad veritatem Christianae religionis evincendam. Prima vox in hebraico textu nunc legitur כַּאֲרִי quod proprie non significaret *foderunt*, sed: *tamquam leo*, ideoque integrum loci sensum immutaret, et ideam crucifixionis removeret. Plerique Iudaeos accusant de corruptione istius loci quatenus ad eripiendum Christianis validissimum hoc testimonium, una litera immutata, ex

(1) Aquila et Theodoretus pro canibus vertunt venatores κυνηγοί, quod sequitur etiam Hieronymus, Iustinus autem in dial. cum Tryphone utrumque coniungit *canes, et venatores*: id fortasse ortum est ex vario modo legendi vocem כְּלָבִים, quae tamen nunc non nisi canes significare potest, et haec est probabilior lectio quam LXX. et plerique alii interpretes sequuti sunt.

vel Iudam: sed hoc necessarium non videtur, potuit enim singulari pro plurali uti quemadmodum etiam in vers. sequenti, sive ob figuram sermonis, sive ad unionem et conspirationem suorum persecutorum innuendam. *Unicam meam*, est casus appositus animae seu vitae, quam *unicam* יְחִידָה vocat, idest dilectam, ut plerumque in Scripturis vox illa accipitur, vel fortasse probabilius solitariam, seu *derelectam*, et moerore confectam, ut Hieronymus intellexit.

Salva me ex ore leonis: idest a potestate eorum quos supra vers. 14 repraesentaverat tamquam leones contra eum aperientes os suum. *Et a cornibus unicornium humilitatem meam*. Unicornes רְמִים passim in Scripturis memorantur tamquam fortissimae et ferocissimae belluae, sive eae sint rhinocerotes unico cornu armati, sive aliud animal quod Aelianus in hist. Animal. describit ut ferocia indomabile, equi magnitudine, iuba et pilis fulvis, pedibus inarticulatis, aprima cauda, voce absona, cornu uno in fronte, versuris constante, aspero, in mucronem desinente. Addunt Iustinus martyr Dial. cum Tryph. et Tertullianus contra Marcionem IV, 19 cornu istud crucis figuram quodammodo praeseferre, ideoque intelligunt hic Christum petere liberationem a supplicio crucis. *Humilitatem meam*, idest, meipsum in tantum opprobrii atque abiectionis prolapsum. Vox hebraica עֲנִיתָנִי a Hieronymo vertitur *exaudi me*, et tunc sensus esset ellipticus, scilicet: exaudi me (liberans) a cornibus unicornium. Verum versio LXX, et Vulgata praeferranda videtur.

Vers. 23.

אֶסְפָּרָה שְׁמֶךָ
לְאַחֵי בְתוּךָ קְהֵל
אֱהֲלִיךָ .

Narrabo nomen
tuum fratribus
meis, in medio
ecclesiae adora-
bo te.

Διηγέσομαι τὸ
ὄνομα σου τοῖς
ἀδελφοῖς μου, ἐν
μέσῳ ἐκκλησίας
ὑμῶν σέ .

Narrabo nomen
tuum fratribus
meis, in medio
ecclesiae lauda-
bo te.

Hoc versiculo clauditur duplex Christi oratio, et prima vers. Psalmi. Sciens Christus se a Patre certissime liberandum orationem concludit promittens, et vovens se post acceptam Resurrectionis gloriam, nomen Patris glorificaturum: *fratribus meis*, inquit, *narrabo nomen tuum*, seu manifestabo tui nominis potentiam et magnificentiam. Vocat hic *fratres* imprimis Apostolos, quos tali nomine

decorare dignatus est Matth. XXVIII, 10, ubi iam reipsa a mortuis rediivus mulieribus apprensus inquit: « nolite timere: ite nunciate fratribus meis ut eant in Galilaeam, ubi me videbunt » tum vero reliquos etiam fideles, quos per baptismum, et adoptionis gratiam fratres suos effecit, ut sit ipse *primogenitus in multis fratribus* (Rom. VIII, 29), et hunc sensum explicat Apostolus Hebr. II, 10 seqq. inquit: « Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis etc. » Horum autem fratrum ingentem multitudinem mox indicat addens: *in medio Ecclesiae laudabo Te*, simul indicans societatem a se fundandam sub Ecclesiae nomine, cuius ipse futurus esset caput, et rector, et in cuius medio gloriam Deo se daturum promittit.

Pars II. vers. 24-27.

יִרְאַי יְהוָה
הַלְלִיחוּ כָל-זֶרַע
יַעֲקֹב כְּבָרוּהוּ
וְנִרְדּוּ מִמֶּנּוּ כָל-
זֶרַע יִשְׂרָאֵל :
כִּי לֹא-בָהוּ וְלֹא
שָׁפַץ עֵינָיו עָנִי
וְלֹא-הִסְתִּיר פָּנָיו
מִמֶּנּוּ וּבִשְׁנֵעוּ
אֵלָיו שְׁמֵעוּ :

Qui timetis Do-
minum laudate
eum: omne semen
Jacob glorifi-
cate eum, et
metuite eum u-
niversum semen
Israel.
Quoniam non
despexit neque
contempsit mo-
destiam paupe-
ris, et non abs-
condit faciem su-
am ab eo, et cum
clamaret ad eum
exaudivit.

Οἱ φοβούμενοι
Κύριον, ἀνεύχατε
αὐτόν, ἅπαν τὸ
σπέρμα Ἰακώβ,
δοξάζατε αὐτόν.

Qui timetis Do-
minum laudate
eum, universum
semen Jacob glo-
rificate eum.

Φοβηθήτωσαν
αὐτόν ἅπαν τὸ
σπέρμα Ἰσραὴλ,
ὅτι οὐκ ἐξουδέ-
νησεν οὐδέ προ-
σώψηκε τὴν δεξι-
άν του πτωχοῦ,
οὐδέ ἀπέστρεψε
τὸ πρόσωπον αὐ-
τοῦ ἀπ' ἐμοῦ, καὶ
ἐν τῷ κλαυθῆναι
μα πρὸς αὐτόν
ἐπιστήκουσέ μου.
Ἰναρ σὸν ὁ ἕ-
κωνός μου ἐν ἐκ-
κλησίᾳ, μετ' ἄλλῃ,
καὶ ἐγὼ, ὡς
ἀποδοῦσά σου τῶν
φοβουμένων
αὐτόν.

Timeat eum o-
mne semen Is-
rael: quoniam
non sprexit, nec
despexit depreca-
tionem pau-
peris. Neque a-
vertit faciem su-
am a me, et cum
clamarem ad
eum exaudivit
me.

Apud Te laus
mea in Ecclesia
magna: vota mea
reddam in cons-
pectu timen-
tium eum.

מֵאֲתָךְ הַהֲלִיתִי
בְּקִהְל רֵב נִרְדִּי
אֲשַׁלֵּם נֶגְדְךָ יְהוָה

Apud te laus
mea in Ecclesia
multa, vota mea
reddam in con-
spectu timen-
tium eum.

Interpunctio et divisio versuum aliquantum differt in textu hebraico et in Vulgata: prima enim verba vers. 23 Vulgatae in textu hebraico adiciuntur vers. praecedenti. Reliqua vero ab his verbis: *quoniam non sprevit* connectuntur cum sequenti, atque ideo ex tribus versiculis fiunt duo: quae divisio ad sensus claritatem melius fortasse conduens a Hieronymo retinetur.

Qui timetis Dominum etc. Voverat Christus se nomen Dei fratribus enarraturum; hic quodammodo incipit votum solvere omnes invitans ad Deum laudandum. Multi interpretes in hoc versiculo indicatum volunt duplicem populum unde formata est Christi Ecclesiae, gentiles quidem sub nomine *timentium Deum*, idest colentium verum Deum, hoc enim nomine solent gentiles pii et veri Dei adoratores designari in Scripturis (Act. X, 2 et 35, XIII, 16 et 26); Iudaeos autem per verba quae sequuntur: *Universum semen Iacob* etc. Hos itaque omnes invitat ad Deum glorificandum. Subdit autem statim causam:

Quoniam non sprevit, neque desepxit deprecationem pauperis etc. idest, quoniam ipsum Christum orantem exaudierat cum pauper, idest, humilis, afflicto et ab omnibus reiecto eius auxilium implorasset. Textus hebraicus proprie habet: quia non sprevit *humilitatem*, seu modestiam pauperis. Sed LXX verterunt τῆ δεισσει quam lectionem sequitur Vulgata: sensus tamen in idem recidit.

Et cum clamarem ad eum exaudivit me, concedens nempe, ut gloriose resurgerem, et de omnibus inimicis triumpharem. *Apud Te laus mea in Ecclesia magna*. Abrupte mutatur persona, et iterum sermo ad Patrem convertitur. Hebraica forma מִנְהַרְבָּה possit etiam verti: *a Te*, quemadmodum legunt Enthymius, Ambrosius, Theodoretus et alii, qui fortasse habebant in aliquo codice LXX αὐτο σου et tunc sensus esset: *laus mea a te* provenit, tum quia beneficio tuo fecisti ut ego te laudarem, tum quia inde gloria et laus mihi parta est. Verum omnes editiones nunc habent παρὰ σου, *apud Te*, et vocem hebraicam eodem modo reddit Hieronymus, quare ab hac lectione discedendum non videtur. Sensus autem est: quod ego me facturum promisi, et ad quod omnes invitavi certissime fiet, et laus tibi a me reddetur, non quidem in parva synagoga, et in angulo terrae, sed in *Ecclesia magna*, quae tum fideles Iudaeos, tum gentes omnes complectetur, et ad ultimos fines terrae

pertinget, ubique, inquam, tua laus per me resonabit. Coepit autem hoc praestare Christus toto illo spatio temporis, quo post resurrectionem in terris moratus est « per dies quadraginta apprensus eis, et loquens de regno Dei » (Act. 1, 3), continuavit autem per suos Apostolos, ac deinceps per eorum successores, quinimo et per se ipsum invisibiliter pios sensus, et divinas laudes fidelibus inspirans.

Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Per *vota* passim in V. T. significantur sacrificia, et oblationes pacificae et eucharisticae, quas Hebraei in gravi periculo aut necessitate constituti Deo vovere solebant, ac post acceptam liberationem in templo Hierosolymae exsolvebant iuxta illud Isaiae XIX, 21: « Colent in hostiis, et muneribus; vota vovebunt Domino, et reddent » et similiter David in Ps. CXV, 14 aiebat: « Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini in medio tui Ierusalem. » Quare manifesta hic apparet allusio ad sacrificium Eucharisticum novae legis, quod hic Christus se oblaturum promittit et praedicit, per suos scilicet ministros ac sacerdotes, qui hoc sacrificium usque ad finem saeculorum celebraturi sunt, quo simul et passionis Christi, et resurrectionis memoria renovatur. Ita Hieronymus, Augustinus aliique. Hoc autem in *conspectu timentium eum*, seu fidelium, quotidie fiet.

Vers. 28-34.

| | | | |
|---|---|--|--|
| יֹאכְלוּ עִנְיִים וְיִשְׂבְּעוּ יְהוֹלָלוּ יְהוָה דְּרִשְׁוּ יְהוָה לְבַבְכֶם לְעַד . | Comedent mites, et saturabuntur, laudabunt Dominum quae- rentes eum, vivet cor vestrum in sempiternum. | Φάγονται πνήτες καὶ ἐμπλήθη- σονται, καὶ αἰνέσουσι Κύριον οἱ ἐκζητοῦντες αὐτόν, ζήσονται αὐτοῦ καρδίαι ἀδελφῶν εἰς αἰῶνα αἰῶνος. | Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi. |
| יִזְכְּרוּ וְיִשְׁבְּחוּ אֱלֹהֵי יְהוָה כָּל - אֶרֶץ וְיִשְׁתַּחֲוּוּ לְפָנָיו כָּל - מַשְׁפְּחוֹת בְּנֵי . | Recordabuntur et convertentur ad Dominum omnes fines terrae, et adorabunt eoram eo universae cognationes gentium. | Μνησθήσονται καὶ ἐπιστραφή- σονται πρὸς Κύριον πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς, καὶ προσκυνήσουσιν ἐνώπιον αὐτοῦ πάντα αἱ πα- τριῶν τῶν ἔθνων. | Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae: et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium. |

כי ליהודה
המלכות ומושל
בגוים .

אכלו וישתחוו
כל השני ארץ
לפניו וקרעו כל
יורדי עפר ונפשו
לא היה .

זרע יעבדנו
יכפר לארני לדור

זבאו ויגידו
צדקתו לעם נולדו
כי עשה

Quia Domini est regnum, et dominabitur gentibus.

Comederunt et adoraverunt omnes pingues terrae ante faciem eius, curvabunt genu universi qui descendunt in pulverem, et anima eius non vivet.

Semen serviet ei, narrabitur Domino in generatione.

Venient et annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit.

"Οτι του Κυριου η βασιλεια, και αυτος δεσποσει των εθνων.

"Εφαγον και προσκυνησαν παντες οι πικνες της γης, ενωπιον αυτου προσκυνησαν παντες οι καταβαινοντες εις την γην.

Και η ψυχη μου αυση εη, και το σπέρμα μου δουλειαι αυτου.

Αναγγελησεται η Κυριου γενεα η ερχομενη, και αναγγελησεται την δικαιοσυνην αυτου λαω το γενηθησεν ον εν ποιησεν ο Κυριος.

Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: et annuntiabunt coeli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Io. VI, 53: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam » et paulo post: « qui manducat me et ipse vivet propter me. . . . qui manducat hunc panem vivet in aeternum. » Hunc sensum isti loco tribuant Hieronym. Aug. Theod. Euseb. et alii passim. In textu hebraico, et apud Hieronymum pro corda eorum legitur: cor vestrum: sed praeterquamquod una lectio ex altera per unius literae immutationem facile oriri potuit, differentia sensum non afficit; similes enim subitaneae personae immutationes in Psalmis passim occurrunt.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae. Prosequitur enumerare miros effectus suae passionis, ac resurrectionis, cum scilicet non Iudaei tantum, sed, ut antea innuerat, ceteri quoque populi ex omnibus mundi plagis ad Dominum convertentur, et confluent in Ecclesiam illam magnam ab eo fundatam: apposite autem ait *reminiscentur*, scilicet recordabuntur Domini, quem olim adoraverant, et a quo creati fuerant, et tamen dereliquerant ut falsos Deos sequerentur; ad eum igitur revertentur commoti fama ac praedicatione passionis ac Resurrectionis Christi: quod statim per Apostolorum praedicationem fieri coepit, et deinceps ab Ecclesiae pastoribus continuatur donec « omnis lingua confiteatur quia Iesus Christus in gloria est Dei Patris » ideoque addit: *et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium*, seu omnes nationes mundi.

Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Merito autem, inquit, omnes gentes ad Deum revertentur, eumque adorabunt, ipse enim est supremus ac naturalis omnium rex ac dominus, cuius imperium daemones iniuste usurpaverant, quibus gentes a tot saeculis immeritum obsequium praestiterant. Possent fortasse haec de ipso Christo intelligi quem Pater regem totius orbis constituit, quemadmodum in Ps. II et CIX exponitur.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae. Quoniam dixerat supra pauperes manducatuos esse et saturandos, addit nunc etiam divites et potentes, quos pingues terrae appellat, in eiusdem beneficii partem vocandos esse: et ipsi uno charitatis vinculo cum pauperibus uniti, et in eandem Ecclesiam collecti Deum laudabunt, adorabunt, et de eadem Christi mensa comedent. Ita Augustinus, Hieronymus, Eusebius aliique passim.